



Q. D. B. V.

§. 1

Cum attestatio illa, quam Scriptura de seipfa fert, utique fit *αὐτόπιστος* & apud omnes regenitos probeque informatos fidem vere divinam gignat; merito supponimus, & ante omnia certam indubitatumque existimari oportere credimus thesin illam: **SCRIPTORES SACROS, IN IPSO Θεοπνευσίας ACTV CONSTITVTOS, NEQVE MEMORIA LABI POTVISSE, NEC ALIQUID VERITATI, NEDVM HONESTATI, CONTRARIVM SCRIPSISSE AVT LOCVTOS ESSE.**

§. 2.

Inde nimirum est, quod Lucas in N. T. Theophilo suo *τὴν ἀσφάλειαν καὶ ἀκερίβειαν*, sub ipsum Evangelii frontispicium c. I. 3, 4. promittat. Inde est, quod in V. T. David haudquaquam dubitaverit fateri, *Spiritum Domini locutum esse in se; Et sermonem ejus per linguam suam* 2. Sam. XXIII, 2. ita certe, ut lingua hæc esset instar graphii aut styli *Scribæ velocis* Ps. XLV, 2.

§. 3.

Velut itaq; graphium aut stylus ejusmodi non *φέρει εαυτόν*, sed *φέρεται*: Sic Sancti Dei homines minime gentium tulerunt aut agitarunt semetipsos, sed *φερόμενοι ὑπὸ τοῦ Πνεύματος ἁγίου ἐλάλησαν* 2. Petr. I, 21. Atq; adeo si quod vitium vel intellectuale, vel morale eo ipso, dum scripserunt aut locuti sunt, commississent, id Spiritui S. acceptum esset ferendum, perinde, ac sphalmata scriptionis non graphio aut stylo, sed scribæ potius imputari consueverunt.